



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispytationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

4 De nominibus eius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

fit, hoc sacramentum esse medium necessarium magis quam alia præcepta, quia nullus effectus necessarius specialiter datur propter hoc sacramentum, neque ab illo pendet: sicut etiam intentio consequendi beatitudinem, quæ per virtutem spei concipitur, est necessarium medium ad salutem: ipsa vero beatitudo non est medium: sic igitur, licet dicamus, aliquo modo votum aut desiderium Eucharistiæ esse necessarium tanquam intentionem & desiderium finis, non inde fit ipsam Eucharistiæ esse medium necessarium ad iustitiam, sed solum ad quandam iustitiæ perfectionem pertinere.

Vltimo, iam obseruavi, Patres loquentes de hoc sacramento, sæpe facere transitum à Christo ad hoc sacramentum, & ab vnione cum Christo ad Eucharistiæ, & e conuerso: quia Christus in hoc sacramento vere, & realiter continetur. Vnde, quia coniunctio cum Christo est simpliciter necessaria ad salutem, & similiter, quia omnis gratia à Christo necessario manere debet, ideo dicunt, hoc sacramentum esse necessarium, quoad rem, quam efficit, quamquam, vt ex Petro Soto notauimus, August. & alij nunquam dicant, homines, præsertim paruulos, saluari non posse sine hoc sacramento, sed sine participatione corporis & sanguinis Domini. Secundum argumentum solutum iam est.

Ad tertium, ex metaphora cibi desumptum: primum iam ostendimus non procedere in parualis, in quibus differentia est inter vitam corporalem & spirituales, quod in illa semper, & in omni ætate agit naturalis color, & corpus patitur à contrarijs, & ideo à principio indigent alimento aliquo: at vero spiritualis vita, pro tempore infantia, nulli actioni contraria subiecta est, & ideo non indiget cibo. Secundo, in adultis notari potest alia differentia: quia corporalis vita ex necessitate patitur actionem contrarij agentis, quod damnnum non potest, nisi per nutrimentum reparari: at vero spiritualis vita non potest damnnum pati, nisi per actionem liberam, & ideo non est illis simpliciter necessarius cibus, extrinsecus adueniens (vt ita dicam) sed per actionem liberam, vt per amorem Dei & Christi, qui est cibus spiritualis animæ, augeri, & defendi potest. Vnde dicitur tertio, quando plura sunt ciborum genera, licet cibus sit simpliciter necessarius, non tamen hic, vel ille definitur: igitur spiritualis vita habet quidem vtilissimū cibum sacramentalem (vt ita dicam) tamen habet etiam alium, quasi internum, in actibus virtutum consistente, quo etiam potest nutriri, & à contrarijs defendi: quia igitur ille cibus, qui est sacramentum, non destruxit alium, neq; abstulit illi efficaciam, idcirco quauis vtilissimus sit, non tamen est necessarius simpliciter. Quarto addit D. Tho. hic ad 2. (& sere in idē redit) cibum corporeum esse necessarium, quia mutari debet in alium: cibus vero animæ Christus potius mutat alium in seipsum: quod potest præstare, non solum perceptus in sacramento, sed etiam spiritualiter conceptus, per ipsius animæ, & mentis propositum: id est, per fidem, & amorem ipsius Christi.

ARTICVLVS IV.

Vtrum conuenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomen enim debens respondere rebus: sed hoc sacramentum est vnum, vt dictum est. Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

2. Præterea, Species non notificatur conuenienter per id quod est commune toti generi. Sed Eucharistia est sacramentum nouæ legis. Omnibus autem sacramentis commune est, quod in eis confertur gratia, quod significat nomen Eucharistia, quod est idem, quod bona gratia. Omnia etiam sacramenta. Franc. Suarez. Tom. 3.

ta remedium nobis asserum in via presentis vite, quod pertinet ad rationem viatici. In omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum, quod pertinet ad rationem sacrificij. Et per omnia sacramenta sibi inuicem communicant fideles, quod significat hoc nomen Synaxis, in Greco, vel Communio in Latino. Ergo hæc nomina non conuenienter adaptantur huic sacramento.

3. Præterea, Hostia videtur esse idem, quod sacrificium. Sicut ergo non proprie dicitur sacrificium, ita nec proprie dicitur hostia.

Sed contra est, quod vsus fidelium habet.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum habet triplicem significationem. Vnam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemoratiuum Dominice passionis, quæ fuit verum sacrificium, vt supra dictum est, & secundum hoc nominatur sacrificium. Aliam autem significationem habet respectu rei presentis, scilicet, Ecclesiasticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum. Et secundum hoc nominatur Communio vel Synaxis. Dicit enim Damascenus 4. lib. quod dicitur Communio, quia communicamus per ipsam Christo: & quia participamus eius carne & Deitate, & quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum, scilicet, hoc sacramentum est præfiguratiuum fructus Dei, quæ erit in patria. Et secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi. Et secundum hoc etiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia: quia gratia Dei vita æterna (vt dicitur Rom. 6.) vel quæ realiter continet Christum, qui est plenus gratia. Dicitur etiam in Greco metalepsis, id est, assumptio, quia, vt Damasc. dicit, per hoc filij deitatem assumimus.

Lib. 4. ortho. fid. cap. 15. ad mod.

Lib. 4. ortho. fid. c. 14.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari secundum diuersas proprietates vel effectus.

Ad secundum dicendum, quod id, quod est commune omnibus sacramentis, attribuitur antonomastice ei propter eius excellentiam.

Ad tertium dicendum, quod hoc sacramentum dicitur sacrificium, in quantum representat ipsam passionem Christi. Dicitur autem hostia in quantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris: vt dicitur Ephes. 5.

COMMENTARIVS.

Quing tantum nomina huius sacramenti explicat D. Tho. eaq; distinguit ex diuersis eius proprietatibus & significationibus: nam quia hoc sacramentum significat præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, & vnitatem corporis Christi in se & cum suo capite coniuncti, & futuram gloriam: & hæc omnia non poterant conuenienter vno nomine explicari, ideo plura sunt illi imposta: & quatenus significat passionem, dicitur (sacrificium:) vt vero significat vnitatem Ecclesiæ, dicitur (communio:) quatenus vero præparat ad gloriam, dicitur, (viaticum:) & sub eadem ratione, vel quatenus realiter continet Christum, qui est plenus gratia, dicitur (Eucharistia:) id est, bona gratia, ac deniq; (metalepsis:) id est, assumptio etiam dicitur, quia per hoc sacramentum filij deitatem assumimus: hæc D. Thomas.

Sed vt horum nominum ratio copiosior habeatur (multum enim conferret, ad veritatem & maiestatem huius sacramenti explicandam) distinguamus in primis duplicem huius mysterij rationem, sacramenti scilicet, & sacrificij: & quoniam de hac posteriori in secunda principali parte huius materiæ dicendum est, illic etiam de nominibus, quæ ad illam pertinent, tractabimus: hic vero de illis, quæ rationem huius sacramenti explicant: sunt autem in hoc sacramento multa, à quibus varia nomina, partim propria, partim metaphorica, sumpta sunt. Primum est, materia sensibilis ex qua hoc sacramentum

Pp confi-

Conficietur. secundum est vsus. tertium effectus: quatum est res, quae in hoc sacramento continetur, scilicet Christus Dominus: quintum denique significatio sacramenti.

Primo igitur à materia vocatur: panis vitæ, panis qui de caelo descendit, verus cibus, esca spiritualis: quæ nomina & similia sumi possunt, ex Ioan. 6. & 1. ad Cor. 10. & 11. Ignatius epist. 14. Panem Dei vocat, & epist. 15. vocat etiam, panem cœlestem: quæ nomina sunt aliquo modo metaphorica quia, vt infra dicemus, post consecrationem, reuera non est panis: tamen quia ex pane confectus est, & quia specie, & vsu externo figuram retinet panis, vel quia spiritualis anima panis est, ideo panis, vel vinum appellatur: & ideo fere sepe in Scriptura additur aliquid, quo hæc panis significatio indicetur, aut quasi eleuetur, vt cū dicitur. panis, qui de caelo descendit, vel, panis, qui datur vitam mundo: vel cum articulo, & quasi per antonomasiam, ille panis: atq; ad hoc caput reducuntur alia nomina cibi, vel conuiuij, vt est illud apud Tertul. l. 2. ad vxorem, conuiuium Dominicum, quod indicatur Matt. 22. vbi sub quadam parabola conuiuij hoc mysterium adumbratur: & illud, quod sumitur ex 1. ad Cor. 11. cœna Dominica. De quo vocabulo his temporibus orta est quaestio: nam heretici solo illo vti volunt, imitantes, vt dicunt, Paulum prædicto loco, cœtra, quos late disputat Claudius disp. 6. c. 1. & contendit tria. Primum, cum Paulus nominat cœnam Dominicam, non agere de hoc sacramento, sed de quodam genere prandij, seu conuiuij, quod in primitiua Ecclesia fieri solebat inter fideles ad refectiōem pauperum: sicut enim ex communibus bonis, vel ad ostensionem mutæ charitatis: vnde Agape vocabatur, vt colligitur ex Tertulliano in apologet. cap. 39. & dicebatur Cœna, vel quia hoc nomine vocari potest omne conuiuium, vel quia fiebat hora noctis, vt Tertullia. indicat: Dominica autem dicebatur, quia fiebat ex charitate, vel ad imitationem Domini, quæ expositionem aliquantulum immutatam habet ibi Caietan. dicit enim sermonem esse de prandio, vel cœna, quam singularis aënis faciebant fideles in memoriam cœnæ Dominicæ. Secundo dicit Claudius Patres antiquos non fuisse vsos hac voce ad signandum hoc sacramento: vnde concludit tertio, nec à nobis vsurpandum esse quod noua sit, & ab hereticis introducta. Ego vero, quod ad secundum punctum attinet, video, antiquos Patres sepe hoc nomine appellasse sacramento hoc, vt constat ex Basilio in regulis breuioribus in 310. Nazianz. orat. 2. vocat Cœnam Euangelicam, & Nicetas super Nazianz. oratione 42. §. Et illi quidem, vocat Cœnam mysticam, August. libr. 2. de serm. Domini in monte, cap. 12. vocat Cœnam Dominicam, idem epi. 188. & habetur in capit. Liquido, de Consecrat. d. 2. & serm. 33. de verbis Domini, ita exponit parabolam Lucæ 14. de homine, qui fecit cœnam magnam. Potuit autem hoc sacramento ita vocari: vel ab institutione, quia in cœna institutum est, vel certe, vt dicebam, quia idem est cœna, & conuiuium, vt patet ex dicto loco Lucæ, & Apocal. 19. Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt: Vnde, quod attinet ad locum Pauli, quamuis præcedens expositio probabilis sit, & Græcorum, Chrysof. Oecumen. & Theophylacti ibi, & eiusdem Chrysof. in Hom. Oportet hereses esse, tom. 3. tamen citati Patres intelligere videntur locum illum de hoc sacramento: & est expositio satis accommodata textui, quam sequuntur D. Tho. Theodoret. D. Hieron. Anselm. Glossa, & Lyra in Paulum. Denique, quod pertinet ad vsum huius vocis, quamuis in illa, per se nullum sit periculum, tamen hoc tempore, quo heretici illa abutuntur ad insinuandos suos errores, scilicet, vt nec ieiuni, nec seruando Ecclesiasticum ritum, conficiant sacramento hoc, ideo vel abstinendum est omnino, vel parce & prudenter illa vtendum, vt notauit Concil. Colonienſe,

S. Ignatius.

Tertullianus.

Claudius.

Tertullianus.

S. Basilius. S. Nazianz. Nicetas. S. August.

D. Thomas. Theodoret. S. Hieron. S. Anselm. Glossa. Lyra.

Conc. Colo.

tractatu de Eucharistia, Petrus Soto lect. 1. & alij moderni.

Secundo, sunt varia nomina sumpta ex vsu huius sacramenti: & hinc primum, vocatur hoc sacramento communio, Græce Κοινωνία Actuum 2. 1. Cor. 10. Circa quam vocem aduertendum est, varios esse illius vsus: interdum enim significat participationem, seu communicationem fidelium in spiritualibus bonis: quomodo in simbolo confitemur Sanctorum communionem: aliquando communio significat obiectum, seu quasi formam illam, qua per excommunicationem priuantur fideles: vt constat ex decretis, 11. q. 3. & alijs iuribus: in quibus priuari communionem non significat, tantum priuari vsu huius sacramenti, sed interna & externa communicatione fidelium. Tertio, quasi per antonomasiam significat hæc vox vsum huius sacramenti, vt patet ex Cypria. 5. Cypria. epi. 10. & in expositione orationis Dominicæ. Quarto tandem ipsum sacramento hoc nomine interdum appellatur, quia est communis vnio, seu coniunctio fidelium, qui edendo idem corpus Christi verum, vnum corpus eius mysticum efficiuntur, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 10. Panis, quem frangimus, nonne communicatio Christi est? vnus panis, vnum corpus, multi sumus: omnes, qui de vno pane participamus. Ita Damasc. lib. 4. c. 14. circa fin. Aug. vt Beda refert 1. ad Cor. 10. & habetur in c. Quia passus de Conſe. d. 2. & eodem fere sensu dicit Concil. Trident. sessio. 13. c. 8. sacramento hoc esse, signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis & concordie symbolum, quia singulari modo perficit, & significat vnitatem corporis Christi mystici. Hinc etiam Synaxis appellatur à Dionys. c. 3. Eccles. Hier. illa enim vox congregationem fidelium significat, vt patet ex Chrysof. Homil. 9. ad populum: & propterea accommodatur ad hoc sacramento significandum, quia illo possunt fideles, in vnum congregari: imo semper in Ecclesia ad vsum huius sacramenti potissimum congregari solebant in templo, vt constat ex 1. Cor. 11. & ex Iustino apolog. 2. pro Christianis in fine. & Tertull. li. de orat. c. vlt. vbi dicit, soluendam esse orationem, corpori Domini accepto. Propter hæc etiam mutua vnionem Ignatius epist. 14. ad Ephes. illud vocat, gloriam Dei, & pacem Christi, & exhortatur fideles, vt crebrius ad Eucharistiam congregentur propter vinculum pacis & vnitatis, Cypri. vero saepe vocat pacem, hoc sacramento, vnde apud illum dare pacem lapsis, idem est, quod ad communionem eos admittere, vt constat ex epist. 10. & 29. ad Clerum Romanum, & 30. quæ est Cleri Romani ad ipsum. Hinc denique olim mos fuit Romanis Pontificibus in signum pacis & charitatis mittere Eucharistiam ad Episcopos Romanam venientes, vt refert Nicephor. lib. 4. histor. c. 39. Euseb. lib. 5. c. 24.

Est autem hoc loco obiter adnotandum, circa hoc nomē communionis, in iure Canonico solere interdum distingui cōmunionem laicam à clericali, vt in Concil. Elibertino, c. 76. Sardicenis, c. 2. Agathensis, c. 50. distinguit etiam Syricius Papa epist. 1. c. 11. Felix III. epist. 1. c. 2 in quibus locis Clerici propter aliquam criminam excluduntur à clericali cōmunionem, & ad laicam tantum admittuntur: quæ autem fuerit hæc diuersitas, quæ harum vocum significatio, obsecrum est. Quidam dicunt: communionem sacerdotalem esse illam, quæ fit à sacerdote, ad complementum sacrificij: & consequenter omnem aliam, quæ extra sacrificium fit vocari laicam communionem. Sed hoc nullo modo potest consistere: nam in d. Concil. Elibertino diaconus priuatur cōmunionem clericalem, & laica tantum illi permittitur: at vero diaconus non est capax sacerdotalis communionis in priori sensu: ergo. Item in prædictis decretis non solum sacerdotes, sed omnes clerici in vniuersum accentur à clericali cōmunionem, eisq; permittitur sola cōmunionem laicam. Secundo, alij per cōmunionem laicam intelli-

intelligunt communionem in vna specie panis : clericalem vero in duabus : hæc interpretatio difficilis creditur est, quia olim, quando citata decreta condita fuere, communio sub vtraque specie etiam laicis licebat, & erat in vsu : ergo non erat, cur communio sub vna specie, laica diceretur : nam clericis, quibus permittebatur communio laica, pmittēbatur quidquid laicis licebat: at laicis licebat cōmunio sub vtraque specie : ergo hoc etiam permittebatur clericis: ergo tota illa erat communio laica. Adde, non constare ex aliqua historia, aliquo tempore, cōcessam esse communionem sub vtraque specie omnibus clericis non sacrificantibus, negatam vero fuisse laicis: ergo non videtur commode illa distinctio explicari ratione vnius, vel duplicis speciei. Tertio, alij per cōmunione laicam intelligunt eam, quæ fiebat inter laicos, & in loco laicorum: vt enim legitur in Concil. Tol. IV. c. 17. Sacerdos & diaconus ante altare communicent: clerici in choro: extra chororum populus: & in Bracharē. l. c. 31. sic scribitur: Placuit, vt intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut & Antiquis Canonibus institutum est. Clerici ergo aliquando in penam solum cum laicis, & in loco laicorum admittēbantur ad communionem: & tunc dicebatur illis permitti laica communio. Sed huic expositioni obstat, quod Felix III. supra dicit de quibusdam : Eis communio laica tantum in morte reddenda est. At vero communio in morte, cum non fiat in Ecclesia, nec cum aliis, non potest ex sola locorum distinctione, vel ex consortio laicorum, laica appellari. Et in d. Conc. Sardicenti, communio laica etiam in fine quibusdam negatur. Sed dici potest, communionem, quæ communiter omnib. fidelibus concedebatur, dictam esse communionem laicam, sumptisq. denominationem ex loco & conditione laicorum: postea vero retinuisse illud nomen vbicunq. daretur: itaq. communionem laicam aliquibus permitti, nihil aliud erat, q. vt communicaretur eorum more laicorum : & quando aliquibus hoc concedebatur, solum in fine vite, tunc dicebatur illis permitti communio laica pro illo articulo : vel addi potest, clericos non solum in speciali loco, sed etiam proprio aliquo ritu, vel indutos aliquibus vestibus sacris, vel cum propriis insignibus solitos fuisse communicare, qui ritus ex parte obseruari poterat, etiam in mortis articulo: ita vt tunc etiam distinctio aliqua fieret inter clericos in predicto ritu, & ita cum conceditur solum laica communio pro eodem tempore, idem est, quod concedi solum vulgari ritu laicis communi. Obcurius sane est, q. in Conc. Agath. c. 2. & 5. de communionem peregrina dicitur, quæ solum conceditur quibusdam clericis in penam, & videtur esse distincta à laica communionem, vt patet ex Can. 50. eiusdem Concilij : vnde videtur eadem proportione explicanda: nam fortasse peregrinis speciali aliquo ritu dabatur cōmunio, vel separatim à propriis incolis, vel aliquo alio signo, quo denotaretur, eum, cui dabatur, extraneum esse ab illa Ecclesia : qua nota afficiēbatur interdum clerici aliqui ob delicta sua.

Tertio etiam ex effectu, quia perfectissimus & copiosissimus est, alia plura nomina accipit. Chrysost. Hom. 4. in Ioan. vocat, fontem bonorum omnium, Damasc. supra vocat, carbonem ignitum purificantem animam, ex Esa. 6. & August. li. 1. de pecca. merit. c. 24. vitam vocat, & dicit hanc fuisse vitatam in Africa appellationem, Ignatius epi. 14. etiam ab effectu vocat, pharmacum immortalitatis, mortis antidotum: & epi. 15. vocat charitatem, ac vitam æternam. Ex quo etiam cap. sumi potuit Græcum nomen metalēpis, q. D. Th. hic interpretatur, i. assumptio, quia per hoc sacramentum Deitatem filij sumimus: proprie vero significat participationem, vt vertit Billius apud Dama. l. 4. c. 14. per hoc n. sacramentum singulari modo Christi diuitias & incarnationem participari.

Franc. Suarez Tom. 3.

pamus: potest etiam verti transmutatio : & optime conuenit in hoc sacramentum, vel ab effectu formæ: quæ substantiam panis in corpus Christi transmutat, vel ab effectu ipsius sacramenti, quia eos, qui illud recipiunt, in Christum spiritualiter mutat.

Quarto ex re contenta, dicitur in primis, corpus & sanguis Domini, aut sacramentum corporis & sanguinis Domini, vt constat ex c. Multi, 1. q. 1. c. Omnia, de Consecra. d. 2. & Ignatio apud Theodor. dialog. 3. vbi Eucharistiam vocat, carnem Dñi nostri Iesu Christi. Theodor. S. August. Aug. lib. 1. de peccat. merit. c. 24. & li. 21. de Ciuit. Dei, c. 20. & Tertul. l. de orat. c. vlt. dicit. Soluendum esse orationem corpore Domini accepto. idem lib. de Resurrect. carn. q. 8. & sæpe alias. multa alia infra referemus agentes de vera presentia corporis Christi. Ex hac vero eadem radice, per antonomasiam, ab solute & simpliciter dicitur sacramentū, vel, sacramentum sacramentorum, vel, sanctissimum & augustissimū sacramentum. vnde Dionys. c. 1. de Cœlest. Hierarch. S. Dionys. sacrosanctum mysterium vocat, & c. 3. eiusdem libr. vocat sacramentorum consummationem, dicitur et interdum, mysteria, quia pene infinita in se continet. legatur Ambros. li. 4. de sacram. c. 3. & lib. 5. c. 2. & S. Ambros. 3. & de Consecra. d. 2. c. 1. c. Non oportet. c. Panem, c. Peruenit, & alia.

Quinto, ex significatione sumpta etiam sunt multa ex dictis nominibus, vt nomen, sacramenti, mysterij, & c. à Tertul. li. de corona milit. Ambr. lib. 4. de Sacramen. c. 4. August. 1. de peccat. merit. c. 24. specialiter tamen ex significatione gloriæ futuræ ad quam viam parat, dictum est, viaticum, vt D. Th. hic docet: est enim pignus gloriæ, & ad illam consequendam præparat, atq. ad difficilimum iter peragendum vires præbet, & ideo Concil. Nice. c. 12. vetat, ne exeuntes è corpore, vltimo & maxime necessario viatico priuentur. idē Con. Carth. IV. c. 77. & 78. Tolet. l. C. 14. vide Trid. sess. 13. ca. 6. addit etiam Turrianus non tantum viaticum, sed viam etiam appellari: legatur tract. de Eucharist. c. 10.

Sexto tandem vtitissimum nomine vocatum est hoc sacramentum, Eucharistia, i. bona gratia, quod nomen, ait D. Tho. sumptum esse vel ex significatione futuræ gloriæ, quia gratia Dei vita æterna, vel ex re contenta, sc. Christo, qui est summa gratia, Irenæus vero lib. 4. c. 34. significat ita appellari, quia in gratiarum actionem consecratur, & offertur Deo. Eucharistia enim, verbum Græcum, Latine gratias agere significat. Eucharistia ergo idem erit, quod gratiarum actio. Et idem sentit Iustin. apolog. 2. pro Christianis, circa fin. & colligitur ex Hieron. exponente verba illa Amos 4. sacrificare de fermento laudem, q. tunc optime facimus, quando ex pane, Christi corpus conficiendo, illud Deo sanctificamus : vel etiam quando illud in gratiarum actionem sumimus, iuxta illud: Quid retribuam Domino? Calicem salutis accipiam. Quod confirmari potest ex Luc. 22. & 1. ad Cor. 11. vbi dicitur, Christū consecisse hoc sacramentum Eucharistians, id est, gratias agens : quo loco Marthæus & Marcus legunt, Eulogians, id est, benedicens: quam benedictionem fuisse ipsammet consecrationem testatur D. Thom. infra q. 78. artic. 1. vbi de hac re latius dicitur sumus: sic etiam Cyrillus epi. 10. contra Nestorium in Conci. Ephesin. recepta, mysticā benedictionē, seu Eulogiam, hoc sacramentum seu eius cōsecrationem appellat, iuxta illud 1. ad Cor. 10. Calix benedictionis, cui benedicim⁹, nonne communicatio sanguinis Christi est? Vbi S. Remigius idē aduertit. Potest deniq. hoc sacramentum Eucharistia appellari ab effectu, quia magnum gratiæ cumulum confert, vel certe, quia ipsamet magnum donum Dei est, magna q. gratia, de qua nonnulli exponunt illud ad Hebræos 12. Habemus gratiam, per q. seruimus, placentes Deo: vt videre licet in Turriano, q. tractat. 2. de Eucharistia, cap. 13. & c. 19. varia Scripturæ testimonia congerit, quibus probat hoc sacramentum



tum in Scriptura sacra, gratiam appellari, ac denique Cyprian. in lib. de lapsis, salutarem gratiam, illud appellat.

ARTICVLVS V.

Verum institutio huius sacramenti fuerit conueniens.

Inf q 74. ar 4. co. & ad 1. & q. 80 ar 8. ad 1. & q. 8. q. 1 ar 1. Et 1 Cor. 11 l. 4 col. 4 & l. 5 co. fin. Li. 2. le 50 20. 2. Ca. 2. Eccles. Hier. par. 1. m. d. 10.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens institutio istius sacramenti. Ut enim Philosophus * dicit in 2. de generatione, ex eisdem nutrimur. ex quibus sumus. Sed per baptismum, qui est spiritalis regeneratio, accipimus esse spirituale, vt Dionys. * dicit 2. cap. 1. celest. Hierar. Ergo per baptismum etiam nutrimur. Non ergo fuit necessarium instituire hoc sacramentum quasi spirituale nutrimentum.

2. Præterea, Per hoc sacramentum homines Christo vniuntur, sicut membra capiti. Sed Christus est caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, vt supra dictum est. * Ergo non debuit institutio huius sacramenti differri vsq. ad cenam Domini.

Quæst.

3. Præterea, Hoc sacramentum dicitur esse memoria e Domine passionis, secundum illud Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem sed memoria est præteritorum. Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Christi passionem.

4. Præterea per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, qua non nisi baptizatus dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionem & resurrectionem, vt patet Matth. vii. Ergo inconuenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

Sed contra est, quod hoc sacramentum est institutum à Christo, de quo dicitur Mar. 7. Bene omnia fecit.

Respondeo dicendum, quod conuenienter hoc sacramentum institutum fuit in Cena, in qua se. Christus, vltimo cum suis fuit conuersatus. Primo quidem, ratione continentie huius sacramenti. Continetur enim ipse Christus in Eucharistia, sicut in sacramento. Et ideo, quando ipse Christus propria specie à discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit, sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Vnde Euseb. Emis. * dicit: Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, nec esse erat, vt die Cene sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret nobis, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerrebatur in pretium. Secundo, quia sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus, secundum illud Rom. 3. Quem posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid representationis Domine passionis. Cuius in veteri quidem testamento præcipuum sacramentum erat agnus Paschalis, vnde & Apost. dicit 1. Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Successit autem & in nouo Testamento Eucharistia sacramentum, quod est rememoratiuum præterite passionis, sicut & illud fuit præfiguratiuum future. Et ideo conueniens fuit, vt imminente passione celebrato priori sacramento, nouum sacramentum institueret. Vnde Leo * Papa dicit, quod, vt membra cederent corpori, antiqua obseruantia nouo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur. Tertio, quia ea que vltimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoria commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero, ad qua magis afficiuntur profundius animo imprimuntur. Quia igitur (vt B. Alexan. * Papa dicit) nihil in sacrificio maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est: ideo, vt in maiori veneratione haberetur, Dominus in vltimo discessu suo à discipulis, hoc sacramentum instituit. Et hoc est, qd August. * dicit in lib. Respon. ad Ianuarium. Saluator, quo reuoluit in commedaret mysterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit artibus infigere cordibus & memoria discipulorum, à quibus ad passionem d'gressurus erat.

Abbas de Conse. d. 4. c. 6. quia corpus assumptum, Ho. 4. in Pascha Domini, non longe à prin.

In serm. 7. de Pascha. Dom. inser. prim. & med.

Alex. 1. in ep. ad omnes ortho. à med. illius tom. 1. cens.

In ep. 118. c. 6. à med. 20. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus, non tamen eodem modo nobis adueniuntibus. Nam ea, ex quibus sumus, nobis adueniunt per generationem; eadem autem, in quantum ex eis nutrimur, nobis adueniunt per manducationem. Vnde sicut per baptismum regeneramur in Christo, ita per Eucharistiam manducamus Christum.

Ad secundum dicendum, quod Eucharistia est sacramentum perfectum Domine passionis, tanquam continens ipsum Christum passum. Et ideo non potuit institui ante incarnationem: sed tunc habebant locum sacramenta, qua erant tantum præfiguratiua Domine passionis.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum istud fuit institutum in cena, vt in futurum esset memoriale Domine passionis, ea per se. Vnde signanter dicit: hac quotiescumq. fueritis, de futuro loquens.

Ad quartum dicendum, quod institutio respondet ordini intentionis. Sacramentum autem Eucharistie, quamuis sit posterius baptismum in perceptione, est tamen prius in intentione. Et ideo debuit prius institui. Vel potest dici, quod baptismus iam erat aliquo aliter institutus in ipso Christi baptismo, vnde & iam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, vt legitur Ioan. 3.

COMMENTARIVS.

Quamquam videatur D. Th. proponere absolutam questionem de conuenientia huius institutionis, re tamen vera solum agit de circumstantia temporis, in quo illa institutio facta est: & merito: tum quia hoc proprie pertinet ad questionem, An est, quam in hac questione versat: tum quia de conuenientia ipsius institutionis in communi iam supra dixerat: in particulari vero de conuenientia materie & forme, & præcipui mysterij huius sacramenti: scilicet, realis presentie corporis Christi, infra propriis locis dicturus est.

Respondet igitur conuenientissime instituisse Christum hoc sacramentum in vltima cena, cum iam fuit passioni, & morti esset vicinus, quod tribus rationibus ex sanctis Patribus depromptis elegantissime, & clarissime confirmat: nempe eius litera maiori indiget expositione: vt res autem magis intelligatur, propriam de ea instituemus disputationem.

Solutiones argumentorum faciles sunt, præsertim solutio ad 1. in solutio, vero ad 2. sunt illa verba diffinitio, Eucharistia est sacramentum perfectum, tanquam continens Christum passum: & ideo non potuit institui ante incarnationem. Sed quia de hac re infra sum ex profecto disputatur, hic solum, quoad mentem D. Thom. existimandum non est illum loqui de potentia absoluta, propter solam realem Christi presentiam: id enim esset improbabile, vt prædicto loco q. 75. ostendam. Et non est necessarium ad intentionem D. Tho. hic, vbi non de possibili absolute, sed de eo, quod fuit conueniens, tractat: mens ergo D. Th. fuit docere, primo sacramentum hoc, vt est signum rei præterite scilicet, passionis Christi, non potuisse institui, vt esset in vsu ante ipsam passionem: quia fuisset falsa significatio. Secundo, si consideret formam huius sacramenti, quatenus designat personam Christi subistentem in natura humana, & per eam loquentem, vt in rigore significant illa verba: Hoc est corpus meum: Sic impossibile esse intelligere institutionem talis sacramenti, cum eadem forma, & significatio, antequam Christus in suo corpore existeret: quia non potuisset, illud relatiuum (meum) referre eodem modo corpus Christi: potuisset tamen hoc sacramentum, quatenus est quodammodo mysterium realiter continens corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, ex Dei potentia, & voluntate institui, ante naturalem existentiam humanitatis Christi, absque illa præcisa verborum forma, vel significatione rei præterite: in hoc enim nulla contradictio intelligitur.